18

SPECIMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

TYPHO MITIORE.

ALEXANDRO EWING, AUCTORE.

Sub nomine typho mitiore, eam febrem, breviter animadvertere statui, quæ, variis temporibus, appellata est febris nautica, nosocomiorum, demissa, lenta, nervosa et similia. Has distingui posse, haud omnino negaverim; ejusdem varietates, autem, tantum oportet æstimari. Typhus mitior et typhus gravior, alia in aliam, gradatim ineunt; et hæ verè omnes supra enumeratæ, sunt, ut opinor, eædem per varios casus mutatæ.

Edinburgh 1815



HISTORIA MORBI.

Nomen febris omnibus linguis et regionibus, a verbo calorem significante, derivatum esse videtur. Scilicet, pyrexia, a πυρ et εχω, febris a *ferveo*, et typhus de quo loqui statui a τύφος fumus. Etsi calor auctus, vivæ est descriptionis morbi febrilis uniuscujusque; verumtamen in typho mitiore minimè insignis est; et plerumque calor parum vel non omnino auctus est per dies nonnullos post morbus invaderit; etiamsi ex magna parte, subinde incrementa sunt caloris; necnon interdum pungens.

Typhus definitur Culleno:

"Contagiosus; calor parum auctus; pulsus debilis, parvus et plerumque frequens; urina parum mutata; sensorii functiones plurimum turbatæ; vires multum imminutæ."

Sensibilitas prava fit; et sensus ægri de suo temperamento, sæpe omnino oppositi sunt ei aliorum. Per multos dies, priusquam æger se seriò affectum, et sanè dum pulchrè

se valere putat, est languor et lassitudo membrorum; postea cum torpore et jactura virium, et omnino alienus est suis officiis. Tunc seipsum ægrescere, et quasi opprimi circa cordis scrobiculum sentit; necnon adest æstus præcordiorum, augustiæ et anxietas; inquietus est etiam et defatigatus: adhæc inertia insolita, et omnium sensuum hebetudo: plus minusve in capite gravitatis, doloris, et vertiginis sensus, et subinde dolor quasi tempora percutiens. Neque mens idonea seipsum attendendo: Cor pulsat infirmè, languidè, debilè et incertè: suspiratio adest, et pandiculatio: ventriculus, intestinaque afficiuntur: fastidiunt cibum, et nauseant, et tardè, ægrè, et incertè munus suum exercent; interdum sitis, tanquam sæpe levis. Subinde morbo augente, cutis arida fit, sicca contracta, neque non frigescit; aut denique adsit cutis anserina dicta, et horripilatio; seu iniquè rorata, è levi motu, uligine gelida; et mutui algores et horrores, et subita et incerta incrementa caloris. Æger dolet variis corporis partibus, præcipue lumbis et fronte capitis, vel occipite, et interdum dolor, cum lassitudine surarum. Non vel saltem ægrè, sese erigere potest; et si niteretur, proclivis

fit ad syncopen. Omnia hæc signa vespere augentur; et sic res se habent per dies aliquot; deinde singula pejora evadunt. Æger inquietus fit, seque per diem totum jactat; mensque est inconstans, neque ad studia vel officia inclinari potest; et ea etiam, quæ in salute, jucundissima, nempe colloquium, lux et recreatio gravia et acerba evadunt. Nocte accedente, vacillant et fluctuant imagines rerum in delirium fugax transeuntes etsi posteaquam error mentis magis constans fit, et lenis alienatio, delirium verum. In singulos dies debilitas crescit: pulsus debilior, frequentiorque evadit; gravis et somniculosus videtur, et manifestè dormiens; verumtamen sibi ipsi haud omnino cognitum; et multi enimvero, ut Huxhamo videtur, auctori idoneo certè, terrore, ex hoc mundo, sese in plures precipitant; alii imo, se dormire non patiantur, vano metu sempiterni somni. Lingua, imprimis alba, limosa, sicca, et arida, fit fusca, pellita, fissa, subnigra, vel penitus nigra, et crusta densa, crassaque tecta. Tum sitis est ingens vel tote deficitur; et plerumque æger de linguæ magno calore loquitur: cibi cupiditas perit; motus voluntarius difficulter perficitur, et enimvero linguam non facile

excludere potest; et exclusa, tremit et vacillat.

Sub octavo die, plerumque, signa graviter augentur.* Circuitus sanguinis inequalis evadit, congestus locales, excitans; neque non fit incrementum cephalalgiæ; et sæpe dolor occipitis obtusus, tinnitus aurium, vigiliæ; et error mentis in delirium constans crescit: spirat debilè, citò et difficulter; ventriculus plus plusque afficitur; nausea et plerumque vomitio adsit: adhæc obstipatio vel diarrhœa; namque alvus in aliis soluta, in aliis compressa est. Tandem impulsus dirigens vis nervosæ in musculos amittitur, vel depravatur; et fibræ musculosæ munus suum enormiter exercent, et nulli imperio subjectæ, in motus perturbatos et convulsivos exsiliunt, aut spasmo contrahuntur; ut accidit musculis post exercitationem longam et violentam, vi nervosa pro tempore delassata. Cor pulsat, citius, debilius et incerte; pulsus parviores et celeriores, subinde, tamen tardi paulisper: respiratio frequentior et debilior evadit: molesta sit deglutitio, aut facultas perit: delirium etsi rarò violentum, vel ferox

* Huxham on Nervous Fever, p. 76.

permanet; cogitatio et actio confusa est: forsan *coma somnolentia*;* et excitatus e somno ideæ turbatæ obscuræque evadunt; frequenterque secum mussitat, neque non timore, vel terrore afficitur; tumultè et turbatè expergifiet et iterum in statum mussitantem et somnolentum incidat; aut denique adsit *coma vigil*,† ubi ingens cupiditas somni, sine potestate ejusdem; vel per multa phantasmata terribilia turbatur; supinus cubat, et sensim ad imum lecti delabitur; anxietas et languor multo magis intensa evadunt; et interdum in syncopen vel statum similem proclivitur. Adhæc tremores, subsultus, palpitatio, strangulatio et singultus; fæces et urina inscio ægro elabuntur; sudor glutinosus, gelidus, aliquamdiu odorem putridum exhalans, cutem pervadit: sunt lachrymæ invitæ. Color est incertus genæ; altera gena fortasse perpallida et frigida, alteraque rubicunda; labia et os internum pallida, cerina et hiantia; dentes nigræ; tempora concava; aures marcidæ, et membranaceæ; nasus acutus, oculi subsidentes, semiaperti, sub-

* Boerhaavii Praxis, vol. iii. p. 316.
† Ibid.

versi, caliginosi et hebetes ; extrema corporis frigescunt, ungues pallentes, lividique ; arteria tactu ad carpum explorata, pulsus tremulus, obscurus sentitur ; vel denique intercisus evadit ; digiti floccos assidue carpunt ; et hic, illic, stragula et fimbrias cubilis agitantes, dispergunt ; vel ineptè aërem una manu secat ; vel species comatis adest, suspiratione et delirio mussitante tantum interceptum. Tum forsan fere assiduè singultit, et spiritus ægerrimè trahitur, et efflatur frigidus : vires demum penitus delabuntur. In casibus pessimis petechiæ adsunt, necnon hemorrhagiæ, et fæces, urinaque videntur putrida. Interdum sunt certamina violentia, et delirium ferox, et alii memorant, animum priusquam errore affectum, clarum evadere, quod "lumen mentis ante mortem," iisdem appellare placet ; sed in hac regione, frequentius alto comate obstupescit æger ; et omnis vis mentis perit, cum infausta et portenta quiete, donec ægrum ab omnibus ærumnis et miseriis mors denique tradit. Hoc plerumque quarto decimo, octavo decimo vel vicesimo die accidit.

DE CAUSIS.

Causæ in remotas et proximas dividuntur; remotæ iterum in prædisponentes et excitantes. Quædam conditio corporis quæ hominem opportunum reddit, verumtamen cum statu optimæ valetudinis consistens, prædisponens causa vocatur. Causa excitans vel occasionalis est, quæ homini applicata, sic opportuno gignit morbum. Causæ priores, sunt præcipue, quæ corpus debile et infirmum reddunt, aut vires vitales imminuunt. Multæ causæ auctoribus medicis enumerantur; nempe, defatigatio magna, vigiliæ, animi affectus deprimentes, cibus tenuior, et insalubris: ex hoc accidit, famen et pestem plerumque jungi; evacuationes nimiæ, frigus longe corpori applicatum præsertim cum humiditate; debilitas è longe habitando in calidis regionibus suborta, aut a morbis qui priusquam eos afficerant: studia vel officia immodica; corpus natura infirmum; sed tanquam debilitas morbo opportunum facit; verumtamen habitus valedissi-

mus non antevertat morbo contagioso, causa satis fortiter applicata. Auctores de febribus carcerum et castrorum testantur, morbum frequentissimè et maxima strage accidisse post tales causas; humiditatem nempe, laborem maximum, priores morbos, aut infirmitatem ex aëre malo et sede. Huxham ait illos esse obnoxios qui multo crasso cibo et insalubri usi sunt, vel potu vapido et impuro, sive qui longe in aëre humido et insalubri manserunt; aut vigorem corporum fregerunt usu hydrargyri, purgationibus frequentioribus, neque non immodica venere. *

CAUSÆ EXCITANTES.

Non nobis adhuc scientia harum plena est: duas causas saltem, medici plerique confessi sunt; hæ nempe, effluvia animalia

* Huxham on Fever, p. 80.

detenta et coercita, et effluvium ex homine affecto ortum, verè dictum contagium. Ex multis probari videtur, effluvium hominis detentum, esse veram causam febris; præsertim ex hac quotidiana re, nempe, typho oriente in Nosocomiis nimis repletis, et sine aëre puro, in carceribus et navibus onerariis. Si homines facti sunt infirmi morbis prioribus, vel alimentis insalubribus, per navigationem longam, aut detentionem tempore longo, in loco malè perflato vento salubri, typhus statim oritur; et nusquam vidimus typhum hujus regionis tam vulgo vagantem et devastantem, quam in domibus sordidis, abjectis, coarctatis, et male perflatis pauperum, in urbibus magnis, et inter opifices ejusdem. Johannes Pringle, Baronettus, auctor accuratissimus, et qui describit typhum sub nomine, febre carcerum, dixit, * "It "arose from the foul air in some of the "wards of the hospital, crowded with sick, "especially in one room, in which a man lay "with a mortified limb." Et iterum inquit idem; "the disorder is incident to every

---

* *Vide* Pringle p. 15 and 291.

" place ill aired and kept dirty, that is, fill-
" ed with animal steams from foul or dis-
" ordered bodies." Medicis non tamen placet, hanc putare solam esse causam, quæ typhum excitat; et contagium. Idcirco, vitium cœli, ut è corporibus putridis enumerant, scilicet his prælio occisis, et quæ inhumata jacent; neque negari potest, talem pestem, secutam esse: * Vero enimvero, me judice, res confirmationem requirit; quum cognovimus, tale supradictum, sine peste accidisse. Pringelius memorat Hippocratem describere conditionem pestilentem cœli, et eam statui humido australi aëris ascribere. Vapores putridæ et miasmata lacuum et paludum, ut similiter agentes, Galeno enumerantur. Lucretius idem dicit de peste, " ubi putrorem humida nacta est
" intempestivis, pluviisque et solibus icta." Febris sæpe orta est in urbibus obsessis, et ibi multæ causæ conjunctæ contribuerent; ut scilicet affectus animi graves, metus, tristitia, et alimenta insalubria, et male in-

---

* Forest Obs. lib. vi. obs. 26. Galen Epit. lib. 1. chap. iv. de Feb. diff.

structi domibus; atque etiam effluvium ex animalibus, simul cum his causis consentiens, quæ reddunt obnoxios, febrem excitarent. Talis febris, inter Carthagenos apud obsidium Syracusarum, erupit. *

Tanquam non creditur, conditionem cœli per se, typhum facere; verumtamen alii putant, vim quarundam conditionum cœli, favere propagationi vagantis contagii. † In aliis annis febris insigniter virulenta et matifera notatur; in aliis mitior eadem; nonne hoc de quadam conditione cœli pendet? ‡ Vis aëris magis etiam probatur hoc, nempe, contagium pestis et variolæ omnino iners, maximo calore vel frigore evadere. § "Samiel ventus si Lindum audias Ægypto "prodest." "Pestis denique sub maximis "caloribus Smyrnæ extinguitur, et ante "etiam Ægypti, quam Nilus superfunditur "et Byrrhææ quoque sicut post multorum

---

* Diodorus Siculus Bib. Hist. lib. xiv. ch. 16.

† Sydenham, p. 14.

‡ Huxham on Air, Pref. p. 1.

§ Chisholm, p. 79, and Russel's Allepo and Blane, p. 277.

"ibi annorum, moram, idoneus certe auctor "memorat Russelus." * Sydenham putat esse constitutionem aëris ut causam in genere, tametsi contagium adesse etiam oportere. Doctor Mead existimavit esse putridam conditionem; ab animalibus et aliis corruptis. † Huxham omnes morbos contagiosos, aëri depravato imputat. Spirante fervido vento Harmattan dicto, contagium variolosum iners fit. "Veteres astronomi causam a sideribus derivaverunt; sic "Virgilius dicit, de miseranda cœli tempestate quæ occiderat." ‡ Anno 1804, post æstatem calidissimam aer circa Columnas Herculis tranquillus evasit, et multa millia mortua sunt. § Aer sic haud respirationi, idoneus, vim corporis minuet, et statum gignit, etsi non certè morbum, huic tamen appropinquum, et morbo obnoxium, causa idonea applicata, ut contagio. Ventus dissipando contagium, et concentrationi ante-

---

* Drummond de Febre, p. 27 & 28.

† Mead on Epidemic Fevers, p. 192.

‡ Boerhaavii Praxis, tom. 3. p. 48.

§ Currie on Cold Affusion, vol. ii. p. 269.

vertendo, multum prodest, tanquam per spatium breve evehit effluvium; igitur in tranquillo, febris contagiosa, maximè fit virulenta.

Contagium.—Effluvia quæ oriuntur è corpore hominis febre affecti, appellatur contagium, cum alius, cui applicetur febre afficitur.

> " ———————— Like a mill-dew'd ear,
> " Blasting his wholesome brother." *

Tametsi typhus plane contagiosus ut plus quam satis probatur; hæc, æquè ac singulæ opiniones medicorum, acerrimè disputata est. Homo ægrotavit, ægro oderato qui typho laborat, neque non febris cito secuta est. Sæpè ventriculus se malè habet, et dolor adsit et vertigo capitis, statim post contagium applicatum. Effluvio pestis inhalato, homo protinus in syncopen delapsus est; imò vero, interdum, non rediit spiritus; tales sunt vires ejus fatales. † Sed tempus quo febris hominem occupat multum variat.

* Hamlet.

† Mead on the Plague, p. 198.

Haygarth æstimavit à paucis diebus ad menses duas. * Effluvia videntur facilia dilutu aëre; saltem paucis pedibus interpositis, vel planè diluta, vel chemicè composita, vel decomposita, omnino inertia evadunt. Dicitur pestem agere per paucos tantum pedes. Ab experimentis Doctoris Haygarth, videtur unum ex viginti tribus vel etiam ex triginta tribus, vix ac ne vix evadere, pro tempore satis longo periclitatum, et obnoxios typho, quot contagioni variolosæ. Videtur etiam ex eodem, terminos contagii variolæ et scarlatinæ; vix magis esse quam duas pedes; multæ autem res, hocce variabunt; ut contagio condensata et conditio aëris in cubiculo ægri. Quædam dosis contagii, ut etiam quoddam tempus, id nempe dum homo periclitatur, sunt necessaria ut agat effluvium. Qui inter effluvia contagiosa semper vivunt assuefacti evadunt; et longe majorem dosem quam alii resistere possunt; ut nempe fures in carcere; qui vestibus suis, contagio valdè imbutis, id aliis communicaverunt, verumtamen ipsi haud omnino affecti. Anno

* See his letter to Dr Percival, On the Prevention of Infectious Fevers.

1577 casus notabilis accidit, in annalibus de Stowe, narratus, dum apud Oxon habebantur commitia: Vapor tam exitialis subortus est ex vinctis, quod omnes fere suffocati sunt. Trecenti ex hoc apud Oxon; et ducenti qui ægrotaverunt illic, et in aliis locis vagati perierunt. Anno 1750 casus memoriæ proditus nec immerito, fuit apud ædes "*Old Bailey*" dictas, ubi multi perierunt, perflato contagio per conclave, vento, ex vestibus vinctorum.* "Haslaræ contagio in multa millia sæviit: Lindoque chirurgo suo, sicut Judæis olim in fornacem conjectis, nulla inde extitit læsio." †

Effluvium contagiosum cujuscunque naturæ sit, omnibus in confessu est; id supellectili, mercibus, parietibus domi, et similibus, adhærescere; et per multos annos esse fontem, ex quo oritur febris. Contagio sic adhærens fomes vocatur: in aliis quam aliis, vi nihil imminuta, longius permanet; et idcirco talia ut Xylon fiunt periculosa, si contagio imbuta fuerunt. Gregorius noster illustrissimus, et jure celeberrimus in suis prælectionibus, ni

---

* *Vide* Pringle on Diseases of the Army, p. 333.

† Drummond de Febre, p. 33.

fallor, memorat juvenem studio medicinæ incumbentem, dum per vias Edinenses ambulabat, palææ aliquid calceo, percussisse: statim odorem malum et ægrum ex materia dissipata sentit: tempore haud longo postea typhus malignans secuta est; neque alia causa invenienda fuit. Palæa ex cubili febricitantis ablata fuerat.

Ægrum typho laborantem appropinquantes, odorem quasi terræ nuper effosæ sentimus; hoc forsan effluvium est contagiosum: Primo sicce nos monuit Lindius. Vapores ab excretionibus alvi, a pulmonibus et cute contagium evehunt. Miasmata forsan, vasibus oris, narium, pulmonum, ventriculi et cutis, absorbentur. Adhuc naturam contagii omnino ignoramus; sed olim scientiæ humanæ sit, chemia ulterius progrediente, proprietates ejus indagare; multaque jamjam iners reddere scimus: alii putant id oriri ex inopia oxygenii; alii ex hydrogenio presente vel nimis azotiæ et carbonici acidi; sed hoc non probatum est. *

---

* Vide Thesis Joannes Stritch, 1810, p. 12.

CAUSA PROXIMA.

Medicis nihil explicatu facilius febrium symptomatis visum est. Hæc multi inter cogitandum sola respexerunt, perinde, quasi nulli alii morbi corpus humanum vexarunt. Hippocrates plurimique discipulorum ejus, è vitio humorum febrem ortam esse, opinati sunt; et ita indolevit, ut hodiernis etiam temporibus illi plures feverent, quorum Boerhaavius longè princeps fuit. Sanguinem aliosque humores inutiles quasi ad explicandum, nonnulli, rejecerunt, et vasibus sanguiferis retulerunt systematis actiones inordinatas; inter quos Hoffmannus et Cullenus præcipue emicuerunt. Nunc temporis autem hæ omnes theoriæ invalidæ æstimantur, quod ex multis sic manifestum est, ut hic diluere supervacaneum esset. Omnes igitur medici proprietati cuidam systematis nervosi, vel potius corporis totius attribuerunt: nec hæc theoria omnino nova, quia, Stahl et Helmont tale

principium actiones corporis rexisse habuerunt.

"Multa sacro tegit involucro natura, nec ullis
"Scire fas est, mortalibus omnia." *



RATIO SYMPTOMATUM.

Quoniam causa proxima tam est obscura, mihi ipsi propono breviter, de ratione symptomatum disserere; vero enimvero hoc etiam haud multum plenius.

Debilitas.—Conditio est cerebri et nervorum quæ necesse est ad functiones corporis rite peragendas. Contagio vel effluvium febrem excitans, imprimis agere videtur, in genus nervosum, vim ejus minuens; unde languor, lassitudo, inertia. Genera diversa debilitatis sunt, sic a labore, ab inopia, a syncope orientia. Hæc typhi debilitas sui ge-

* Lucretius.

neris est; sed quomodo contagium humanum corpus debilitat ignoramus. Signa, majus minusve è ratione debilitatis graviora sunt.

Anxietas.—A congestu sanguinis oritur, in pulmonibus et in vasis magnis præcordiorum. Imminutione vis nervosæ vasa minima superficiei spasticè stringuntur; et insequens partium collapsus, ei similis est qui fit, è frigore, syncope, et quibusdam affectibus animi.

Oscitatio, Suspiratio, Pandiculatio.—Hæc sunt systematis nisus, sanguinem circa præcordia congestum amovere. Oscitatio et suspiratio sunt inspirationes longæ, quæ promovent et facilem reddunt transitum sanguinis per pulmones. Pandiculatio est valida contractio musculorum quæ sanguinem per venas propellit, unde cor stimulans et circuitum sanguinis accelerans.

Sensus Depravati.—Torporem functionum ad vim nervosam imminutam referimus. Per alia morbi stadia sensibilitas augetur, actione generis nervosi excitata; unde audi-

tus, visio et nonnunquam olfactus, et gustus acutiores; et hoc sine cerebri inflammatione. Æger interdum sentit calorem dum alii frigere videtur. Frigus oriri à vi imminuta vasorum superficiei, et spasmum prævertere sensationem ejusdem opinatur. Sensatio frigoris, ubi alii superficies calefacta videtur, forsan oritur generali principio, nempe, sensatione facta è conditione organi.

Tremor.—Est frequens et celerrima contractio et relaxatio, fibrarum musculorum, è debilitate et exhausta vi nervosa oriens. Sic febre vel alio morbo graviore fugiente, manus vel crura etiam sub minimo conatu tremunt. Tremores, convulsiones, spasmique inter se maxime simillimi sunt.

Pulsus Debilis et Frequens.—Cor è systematis debilitate, languidè contrahit; unde vix depletur, et sanguine citò influente, pulsus fiunt celeres, debilesque. Interdum febre irruente, pulsus tardus est, forsan ob aliquid oppressionis cerebri pendens.

Nausea et Fastidium Cibi.—Debilitas fibrarum muscularium ventriculi ex magna parte

hoc facit. Affectus deprimentes animi, tristitia, metus, anxietas, quæ per genus nervosum agentes, talem affectum habent. Nuncius tristissimus famem excipiet; et fastidium fiet. Conditio quoque cutis per consensum, ventriculi statum mutat.

Sitim,—Spasmus vasorum oris gignit. Et quoque secretio depravata oris et faucium, a consensu cum ventriculo qui plerumque se malè habet. Multi sentiunt aliquid sitis descendentes in balneum frigidum, ad partes intimas diffusa, spastica strictura.

Delirium et Typhomania.—Primo imminutio est, vel jactura vis animi, attendendi et cogitandi: hoc referatur vi nervosæ debiliori. In stadiis posterioribus febris delirium sæpe constantius fit. Verumtamen etiam existit, sine ulla inflammatione, vel aucta actione vel congestu vasorum cerebri, et denique sine aucto fluxu sanguinis. Hoc certius credamus ex phenomine insaniæ, maximè delirio analogæ et sine inflammatione cerebri. Sunt quoque quædam genera maniæ sine inflammatione vel fluxu sanguinis aucto. Interdum tamen delirium typhi oritur ex cerebro in-

flammato, vel fluxu aucto sanguinis per carotidas. Typhomania sine dubio, in plerisque casibus fit a vi cerebri imminuta, et idem ab inopia sanguinis ad cerebrum propulsi, quia vasa languidè agunt: hinc vinum et alia stimulantia delirium amovent; sed conditiones sunt cerebri, quas adhuc, haud omnino, exponere possumus; ex animo ipso, ejusque dotibus pendentes; causæ quarum in arcano sunt. Verumtamen vim cerebri majorem vel minorem secundum statum circuitus, sustineri scimus; et munera animi et sensuum etiam plus, minusve ex eadem causa afficiuntur. Plerumque delirium est mite et mussitans; sed interdum ferox, vi insolita musculorum comitante: hæc tamen vis insolita, nihil aliud est, quam spasmus musculorum; verè enim vires ægri in hoc morbo sunt minimæ, uti ægro convalescente vidimus.*

Coma.—Serum effusum in aliqua parte cerebri, plerumque facit signum, quod coma appellamus; sed idem sine sero effuso oriatur, nempe ex circuitu pene cessato. Mutationes morbosæ quoque evadunt, sen-

* Vide Chisholm on Malignant Fever, p. 3.

sibus nostris haud æstimandæ. Sæpe post delirium, maniam et talia, nihil morbi in cerebro cadaveris inventum est.

Dolor Capitis.—Sine inflammatione cerebri vel membranarum ejus, sæpe oritur, et fit ex consensu cerebri cum ventriculo: verumtamen sit ex congestu vasorum capitis, vel conditione alia cerebri inexplicabili. Sed gravitas, dolor, et vertigo capitis, una cum nausea, initio morbi, videtur esse, proximus effectus causæ excitantis, sine aliqua actione precedente. Multi ex odore contagiosi effluvii, statim ægrotescunt, et vertiginosi fiunt, et multis animo omnino deficit; talem vim habet contagio in genus nervosum.

Dolor Lumborum.—Debilitas musculorum circa lumbos præcipue hoc signum excitat. Musculi longi qui corpus erigunt, in munus commune exercendo defessi sunt: hoc magis probatur, vacuitate doloris experta, cum æger in lecto decubuerit; sed tunc etiam dolor non penitus amovetur, et aliquid congestus, vel rheumatismi in his partibus sit.

DIAGNOSIS.

Hanc paucissimis absolvemus. Synocha a typho discriminandus est, pulsu pleniori, duriori, validiorique, calore aucto cutis, et plerumque inflammatione locali; et dejectione animi vel anxietate febrili, absente. Sanguis a synocha laborantis missus superficiem albescit; et interdum delirium ferox premit. Causa adjumento diagnosi est; scilicet si contagioni æger oblatus fuit, debilis, labore exhaustus, typhus est: è contrario si juvenis validus, frigori magno, humiditati, sese temerè objecit, synocha. Typho vagante, quamvis symptomata synochæ similia sunt, cavendum est. A typho graviori, gradu tantum differt: notæ mitioris omnimodo leviores sunt: cursu multo tardiores, magisque insidiosæ. Anxietas et nausea sunt minora et raro acerba; vomitio rei subnigræ, calor, gravitas et dolor apud scrobiculum cordis, petechiæ, vibices, hemorrhagiæ et gangrenæ typhi gravioris, nunquam vel raro saltem ad mitiorem pertinent.

PROGNOSIS.

Hæc semper maximè dubia est; nam cognoscitur experientia, optima signa, subito ad pessima, vertisse, ægrumque tunc ultra potestatem medicinæ esse. Verumtamen scisse pessima signa abire, et nonnunquam morbum propitium evadere, dum spes minima relicta fuerit, solatio est haud parvo.



SIGNA PROPITIA.

Salutis redeuntis unum est ex optimis signis, lingua prius subnigra, sicca et arida, facta humida et nitida, primo ad marginem; quia eodem tempore cupiditas cibi redit; veroque hæc nitida species linguæ index est integræ conditionis ventriculi redituræ; quæ integra conditio sæpe notatur, alicujus cibi generis cupiditate. Una cum his immi-

nutiositis est; etiam sudor calidus, universalis, liberque cutem irrorans, quam Pringelius, semper invenit crisin propitiam indicare; sunt notæ valde benignæ. Si alvus biliosa leniter profluit, prodest; affectiones capitis scilicet dolorem et delirium allevat, magnumque irritamentum, intestinis subripit. Tumores inflammatorii et abscessus, haud raro crisin benignam antecedunt. Si petechiæ subnigræ, rutulæ fiunt, et evanescunt vel minores evadunt. Delirium in decursu, haud initio febris, et tantum subinde infestans, neque ferox, nec continuum, signum benigni tale est. Surditas auditu acuto melior; et sensus sonorum tinnulorum gratus, et quidam sopor, qui ex comate distinguitur, et quo æger facile exoriri potest. Æger sæpe dormiens et torpidus jacet per dies multos, vix ac ne vix quidem, per horam indies somno solutus. "Sydenham observavit, quod in "quibusdam febribus epidemicis, homines "per quatuordecim dies manserint dormien-"tes et sensibus privati; sed tamen haben-"tes calorem et pulsum sat bonum."* Dum æger facile excitatur, sopor est benignus;

* Boerhaavii Praxis, tom. III. p. 322.

et nemo hodie hunc statum, ut olim, stimulis mutare vult. Maximè propitium est, cum vinum ægro gratum est, eumque recreat, pulsum reddit pleniorem et validiorem, et delirium minuit aut amovet et somnum inducit. Omnia fere signa modica; vultus haud procul a naturali; oculi cum solito splendore et fulgore; et musculi faciei pariter contracti, nos certiores faciunt ægrum se haud malum habere.

—————— "Beauty's ensign yet
"Is crimson in the lips, and in the cheeks;
"And death's pale flag is not advanced there." *

Vox solita robur denotat. Si in utroque latere, jacere possunt, et posituram corporis mutant, robur denunciat. Signa salutis redituræ maximè certa sunt, pulsus evadens tardus, plenus, mollis, et æqualis; cupiditas cibi rediens; sitis imminuta; cutis frigidula.

* Shakespeare.

SIGNA QUÆ PERNICIEM DENUNCIANT.

Hæc sunt omnia quæ maximam debilitatem indicant; aut signa putredinis componentium corporis, saltem hæc sic æstimata; contenta intestinis et ventriculo, sine dubio afficit, et denique signa affectionum localium, inflammationesque; sic pulmonum inflammatio, pleuritis, aut abscessus cerebri, * et congestus sanguinis; et generis nervosi proxime, aut per hoc sanguiferi, debilitas. Hæ conditiones sæpe conjunguntur; hinc pulsus parvus, debilis, mollis et facilis compressu, præsertim sub initio; perniciosam infirmitatem denunciat. Syncope a magna debilitate supervenit, si æger se movere nititur, vel erigere. Si respiratio celer vel molesta; si vox mutatur vel intercipitur: extrema frigida in stadio posteriore. Sudores frigidi et viscidi: vultus mutatus ab inopia sanguinis, cum debilitate et relaxatione musculorum faciei; si sub initio et longè et sine intermissione delirat; ventriculi gravis ar-

* Sir J. Pringle, p. 305.

dor; vinum haud omnino gratum, nec pulsum faciens plenum, oculi quasi vitrei fixi, vel cum motu tardo et imperfecto, quia vasa sanguine carent, et musculi paralysi afficiuntur; si vidit aliquem rem quasi duplicem, quod fit ex distortione oculorum, ab infirmis viribus, vel paralysi quorundam musculorum. Visus hebes, vel ejusdem jactura a debilitate retinæ. Invitæ lachrymæ: coma vel stupor ex quo, facile æger non excitari potest; hoc in aliis fit ex cerebro oppresso, tanquam sæpe a conditione cerebri quadam, quam nec exponere, nec definire possumus: vigiliæ etiam sunt malæ ex irritatione nervorum: subsultus tendinum vel tremores, qui ad convulsiones sunt proximi: Si linguam non excludere potest; vel exclusa, multum tremit; si omnes sensus perierunt præter auditum: pauca copia excretionum intestinorum, cutis vel renum, aut retentio harum; aut immodica profluvia cum magna debilitate; si fæces et urina præter voluntamen ejiciuntur: profusio sudoris et diarrhœa quæ infirmat; urina rubra pellucida evadens; delirium sæpissime hoc sequitur: defectio universalis virium vitæ. Si vim febris æger non sentit; et multo errore mentis prepedi-

tus; aphthæ subnigræ et opacæ infaustæ sunt: petechiæ et vibices quoque, et quanto majores et lividiores tanto pejores: hemorrhagiæ etiam. Hæc, systema ad gangrænam proclive, indicant.



EXITII NOTÆ.

Hæ sunt omnia quæ ultimam infirmitatem denunciant; et defectionem vis vitæ. Facies perpallida et subsidens; tempora concava; aures quasi marcidæ; oculi semisubversi palpebra superiore, et celati, caliginosi et opaci; visus hebes aut amissus.

> "The eyes, like lamps whose wasting oil is spent,
> "Wax dim, as drawing to their exigent." *

Nasus acutus, os hians, labra pallida et cerina, dentes nigræ; lingua et os spumeo limoso, subnigro imbuta: cutis rugosa, tota

* Shakespeare.

forma laxata, profusa exudatio frigidi, viscidique sudoris plerumque circa frontem, collum, manus et pedes inique diffusa; verumtamen omnia hæc oportet simul æstimari. Æger supinus jacet, et sensim ad imum lecti delabitur; abdomen sæpe turgidum et tensum tympano simile, a flatu; pulsus primo vermiculus, deficit, vel tremit tantum et fluctuat; tunc sese penitus amittit. Respiratio primùm est celer, debilis et irregularis; aliquando vix percipienda; tum festinans, præripiens, molesta fit; et buccis morte solutis sonans; subsultus tendinum, vellicationes, tremores spasmus aut convulsiones, urina et fæces sine voluntate delabuntur a paralysi; si extrema maxime frigescunt et humescunt; æque horrendum est si oculi incerti, hic illic circumvolventur, contrave immobiles obstupescunt vel distorquentur. Si æger subito strangulari videtur. * Si frigidus afflatur spiritus, assidue manibus tremens, digitisque floccos vellens, et festucas è fimbriis legens; muscæ ante oculos volitantes, singultus, palpitatio et strangulatio, facultate deglutendi amissa.

---

* Lommius, lib. primus.

Multum garrit nugarum: et interdum sunt certamina ferocia, et altè delirat; sed plerumque profundo oppressus somno exanimatur. Nullum horum signorum per se sumptum certam mortem denunciat; sed conjunctio aliquorum perniciosissimorum, ut nempe delirium constans, vel altum et profundum, facultas exhauriendi amissa, et respiratio frequens et molesta, et "buccis morte "solutis sonans;" hæc sunt immutabilia; et "vinculum argenteum certè solutum iri, at-"que poculum aureum fractum iri;"* uti poeta immortalis noster canit:

——————"The life of all his blood
"Is touch'd corruptibly; and his pure brain,
"(By some supposed the soul's frail residence)
"Doth, by the idle comments that it makes,
"Fortel the ending of mortality."—Shakespeare.

* Ecclesiastes in Sacris Literis.

SECTIO CADAVERIS.

Plerumque apparent partium solidarum mollities, et conditio flaccida; et fluidarum, præcipue sanguinis status dissolutus. Inveniuntur etiam in variis cavis internis, materies saniosa sive serosa; et viscerum abdominis et thoracis vasa sanguifera turgida, et inflammationis varia signa; necnon in cerebro frequentius, liquoris serosi effusio: in aliquot casibus materies purulenta.

RATIO MEDENDI.

Indicationes sunt;

1*ma*, Temperare vi reagenti.

2*da*, Causas amovere vel effectus debilitatis prævertere.

3*tia*, Fluidos corrigere ad putredinem proclives.

INDICATIO I_{MA}.

TEMPERARE VI REAGENTI.—Quum nisus salutaris in omni febre est, alii putarunt, nihil fieri oportere, nec discidere requiri vel interrumpere agentia. Vero enimvero compertum est, tametsi febris sæpe abit, ægerque convalescit è nullo medicamento, hoc tamen esse maxime incertum; et febri ipsi ad corpori nocendum esse proclivitatem; et in omni exemplo, sanantia sagaciter interposita, experientia comprobatur utilia esse. Plerumque, non penitus naturæ viribus, confidere possumus, ut curam perficiat; et sane haud dubium est quin melius esset priorem opinionem radicitus evellere, quum cuique ignavo negligentiæ suæ sit purgationi. Insuper signa maximè felicia et fausta, haud omnino confidenda sunt; quod sæpe maxime fausta, subito ad infaustissima mutantur. Curatio quæ perficeretur operibus, sæpe incertis naturæ, frequenter arte certius adjuvaretur.

Indicationi primæ respondendum est Emeticis, Detractione Sanguinis, Catharticis, Refrigerantibus, et affusione aquæ frigidæ.

Emetica.—Hæc data sub initio, febris sæpe intercipitur; præsertim emetica antimonii, quæ, quam ipecacuanha, multo validius agunt. Fortasse agunt tam feliciter, ex impetu vehemente, qui totum corpus perturbat, ordinem eventuum, seriemque actionum morbidarum resolventia, et intercipientia: Gregorius noster, hoc, in fallor, suis prelectionibus memorat.

Emeticum, si intra primos paucos dies, omissum est, etsi febrem, non penitus subripit, omnibus tamen symptomatis temperabit, minuetque: sudorem lenem profert; febremque cursum conficere citius læviusque efficit. Posteriore stadio febris, si ventriculus maxime ægrum se habere videtur, emeticum prosit; sed melius est mitiora emetica admovere. Hodie antimonium non adhibetur, nisi perpaucis tantum medicis, sudorem de die in diem excitare; neque videtur, hoc aliquid boni perficere posse: debilitatem auget sine symptomatis amovendis: si lenem sudorem excitare volumus, haustibus salinis, ex citrate potassæ vel ammoniæ, optimè profertur.

Detractio Sanguinis.—Causas accidentes, naturam epidemici, habitum ægri; et gra-

dum diathesis inflammatoriæ, sententiam nostram de sanguinis detractione dirigere oportet. Hæc autem in typho ferè omnino rejicitur, etsi vero signa sub initio eam indicare videntur; inflammatoria nempe, cum pulsu valido, pleno, et aucto calore cutis: vero enimvero, in paucis diebus hæc abeunt, et infirmitatis magnæ superveniunt. Negari non potest detractionem sanguinis, initio typhi, effectu salutari eam intercidisse; et alii etiam eam ut semper utendam proposuerunt; * quam opinionem tamen plerique nostrorum medicorum illustrium, non confirmatam habent; nuper autem Dr Mills assertor hujus doctrinæ strenuus apparuit, qui posuit febrem, statum esse corporis, inflammationi tendentem, et initio detractionem sanguinis postulare; putat enim pulsum obscurum, debilem et parvum, ex plenitudine vasorum immodica oriri, et quasi speciem plethoræ esse, quæ vim arteriarum minuit. Sanguis missus, multum oneris sanguinis aufert; atque liberam circulationem restituit. In posterioribus stadiis etiam, si sanguis non

* Dr Mills.

missus est, tantam injuriam fieri organis vitalibus, sicce oppressis, ut maxima infirmitas sequatur; et stimulantia et talia postulentur. Aliquid sit in hoc veri; et forsan magis probatum, sectione cadaverum horum, qui huic febri succubuerunt, videatur; in multis quorum, sunt signa inflammationis, cum effusione serosa viscerum abdominis et etiam cerebri et pulmonum; sed nequaquam obliviscendum est, hæc non semper esse inventa; et etiam cum accidant, sæpe non omnino causæ morbi, sed vero effectus ejusdem. Non est mei, cum tanto viro nempe hujus doctrinæ auctore, disputare; neque negaverim detractionem sanguinis esse necessariam sub initio typhi, in aliquot casibus paucis, ubi æger est validi, pleni et habitus plethorici; et una cum causa contagione, subjectus est quoque, ad frigoris multum, et humiditatis, ubi symptomata inflammatoria expectamus: sed tum etiam me judice, perparcè faciendam est; et in confessu est omnibus, plerumque vires vitæ aliis auxiliis sustentare, necesse esse; et rarissimè ægrum invenimus illo stadio morbi, nempe proximo initio, ubi secundum theoriam dictam prosit. Non amplius quam paucas uncias detrahere debemus; et

tunc effectum diligenter observare, ut hoc dirigat nos quid faciendum.

Denique unus auctor dicit, febrem nihil aliud, penitus esse, quam genus phrenitidis, vel inflammationem cerebri.*

Multæ theoriæ, "Vox et præterea nil!"

Cum inflammatio topica alta fit, vel organum aliquod magni manenti afficit, ut scilicet cerebrum, pulmones vel talia, sanguinem mittere necesse est, ut refugium solum. Sed hic quoque fieri cautè oportet; et plerumque emplastra sunt remedia præponenda. Gregorius memorat, ni fallor, in suis prælectionibus, febrem typhodem inter quosdam in arci Edinensi, vagatam esse, ubi ex signis inflammationis adeo magnis, sanguinem detrahere necesse fuit; et profuit.

Cathartica.—Experientia Hamiltonii, catharticorum exhibitionem ad vias primas exonerandas, et accumulationem nocentem fæcum, prævertendam, in omnia symptomata minuenda per cursum febris, prepotentem esse invenit. Præsertim feliciter agunt, in

* Clutterbuck.

dolorem capitis et delirium, ventriculi ægrotationem, sitimque denique ab hoc orientem minuendo. Cathartica adhibens liberè, vinum et alia medicamenta auxilaria multò minus, necessaria esse invenit. Non proponit ægrum maximè purgare, aut alvos liquidas, et diarrhœam facere; sed tantum dejectionem unam vel duas in diem. Cum hoc solum volumus, doses modicæ purgantium mitiorum sunt intendæ; scilicet oleum ricini, sulphas sodæ, vel magnesiæ, phosphas sodæ, tartris sodæ et potassæ, rheum, aut etiam calomel cum jalapa. Verumtamen cum magna accumulatio est, et intestina longe compressa sunt; majores doses purgantium, et forsan acriorum requiruntur; et repetendæ sunt donec intestina bene exonerantur. Cum hæc intentio impletur, existimatum est, fæces necesse esse coloris soliti videre, pro re subnigra et fœtida quæ primo apparuit. Verum est, hoc, aliquam normam præbere ad nosmet dirigendos; vero enimverò haud potest negari, hunc modum longius gestum esse; et fæces subnigras esse interdum a sanguine, altè in primis viis effuso; namque cum sic effunditur, hanc similitudinem habet; et si hæc purgantia acriora prescribere pergimus,

spe hanc rem subnigram vacuandi ; stimulus talium purgantium, tantum, malum adauget. Cum hac cura, usus purgantium ad primas vias evacuandas, inter cursum febris est maximus.

Refrigerantia.—Hujus generis sunt acida et sales neutrales. Inter optima est haustus salinus, carbonate potassæ, et acido citrico, formatus ; vel ex carbonate ammoniæ : leniter sudorem excitat. Hi haustus libere capiendi sunt pro re nata ; semuncia omni hora aut frequentius. Potiones acidulæ nempe succus citri medicæ cum aqua (*lemonade* Anglicè,) sunt valde utiles : aqua frigida hausta ipsa, magnam vim habet in calorem minuendo, et pulsum tardiorem faciendo. Acidum sulphuricum maximè dilutum, est unum optimum hujus generis.

Affusio Aquæ Frigidæ.—Experientia nunc potentes, felicesque effectus affusionis aquæ frigidæ febricitantibus applicatæ demonstravit. Primo de hac narratum est peregrinatore celebri Joanne Chardin, Baronetto, ut dicit Currie eximius : " Ablution of the " surface with cold water in feverish diseases

"has been traced under different modifica-
"tions, among the practices of the rude na-
"tions of Asia and of Africa, by modern
"travellers, particularly by Sir J. Chardin
"and Bruce; but it was first brought into
"notice in Europe during the epidemic fever
"which prevailed at Breslaw in Silesia, anno
"1737." *

Dr Wright eam expertus est et faustus fuit. Experimentis ejus succederunt, magis accurata et plena, hæc, nempe, eximii Currie, qui regulas dilucidas composuit, et certas pro usu affusionis.

Affusio debet accipi si potest, initio febris, cum calidum stadium bene observatur, et corpus constanter, justo calidius est, sine aliquo sudore universo, aut inflammatione locali, vel affectione viscerum momenti. Oportet ægrum e lecto tolli, vestesque exui, et aquam frigidam affundi in humeros; tum corpus diligentur siccari et distringi; et in lectum reponi. Si valde frigescit post hoc; aut si rigores subeunt, potionem aliquam cardiacam dari oportet, scilicet vinum cum aqua. Cum affusione utamur hoc modo, sæpe

---

* *Vide* Currie, vol. i. p. 77.

febrem omnino abscidit: interdum calor febrilis nunquam revertitur; at in plerisque casibus minus fortunati sumus; et in illo stadio morbi ægrum non invenimus, quod sic abscidi potest: Verumtamen in omni casu, affusio minuit calorem febrilem, pulsum multo tardiorem facit; et morbum leni modo cursum conficere. Cum calor redit, affusio repetenda est. Ubi affusio opponitur, aut videtur esse intempestiva; propter stadium morbi, vel debilitatem vel alias rationes, aspersio frigida, maximo commodo utenda fit. Et enimvero ex magna parte, aspersio dicatur esse accomodatior affusione, quod etiam consentancor est, opinionibus vulgi, omni fere casu magis idonea; et affusio frigida aptatior est inter nautos, militesque, aut in nosocomiis; verumtamen multi sunt casus, ubi affusio frigida in praxi communi est utenda. Applicationem validam frigoris conclusum sit esse potens et remedium tutum in febre: habet effectum valde sedativum, in corpus, actionem cordis minuens, et arteriarum. Noster Gregorius nunquam obliviscendus, inter primos fuit in hac regione, qui remedio hoc audaci et fausto, usi sunt; et validas probationes, prioribus ad-

dendas, dedit, utilitatis ejus non solum in typho; sed etiam in cynanche maligna.* Cum calor parum augetur; aut in stadio progresso febris, ablutione tepida, aut aspersione corporis aqua tepida, ab 87° ad 97° F. uti debemus.

Aër frigidus quoque est maximi momenti; agit non secus ac affusio frigida, etsi minus potens; anxietatem minuit et calorem. Est certè unum è maximis augmentis medicinæ hodiernæ, regimen frigidulum, pro vetere inepto modo, utendum esse; nempe ægrum quam calidum et cœnosum ut potuit, habendo; aëre frigidulo, vel potu frigido, aut mutatione vestium negatis, etsi sensationes ægri fervidè ea postulabant; tanquam ægro orante vehementius Rege Joanne:

"And none of you will bid the winter come
"———————— nor entreat the north,
"To make his bleak winds kiss my parched lips,
"And comfort me with cold; I do not ask you much,
"I beg cold comfort; and you are so strait,
"And so ungrateful, you deny me that."

SHAKESPEARE.

---

* *Vide* Dr Gregory's Letters to Dr Currie, in his Work on Cold Affusion.

Veteres, medicamenta calida et stimulantia dederunt, et ægrum in aëre calido et depravato tenuerunt, nihil aliud facientes, quam anxietatem et irritationem augentes, petechias gignentes; omniaque symptomata putrida et maligna.

Cubiculum in quo æger jacet, aëre frigidulo, liberè perflandum est: Lenis sudor sæpe cutem pervadit, ægro sic jacente in aëre frigidulo vel frigido. In cœlo gelidissimo, et cum fenestris apertis in nosocomio, vapor condensatus vel halitus febricitantibus frequenter exoriri videtur.

Diluentia.—Hæc sunt maximæ utilitatis in febre minuenda, et sitim, et sic fontem irritationis magnæ, abstrahendo. Cullen existimavit ea habere effectum felicem spasmum vasorum extremorum auferendo, et sudorem proferendo; at hoc tamen facto, valde dubium est, si febris omnino minueretur. Subinde vidimus sudorem copiosum, sub initio febris, et etiamnum febrem potius augeri: Ratio eadem ad sales neutrales applicetur; ut etiam sudorifica et emetica ad hoc propositum data.

Antispasmodica et Anodyna.—Optimum longè horum est opium; et sæpe maximæ utilitatis in auferendo aut reprimendo in limine, tremores, subsultus et spasmos. Multum quoque utile est, plerisque casibus ad somnum conciliandum, haustus forma, vel pilulæ. Si cum aliquo diaphoretico conjungitur certius agit; namque inventum est, cute calida et sicca, opium potius somnum prævertere. Idcirco, multos ex optimis medicis additamentum vini antimonialis, prescribere vidimus. Opio non ægrum componente; aut si alvi astrictionem prævertere volumus, Hyoscyamus apte utendus sit; doses similes tincturæ hyoscyami dantur, ut tincturæ opii : tinctura Humili Lupili quoque administretur. Opium sæpe delirium feliciter aufert; at omnibus tamen in confessu est, id agere in contrarium. In talibus camphora idoneè sit utenda, forma misturæ vel emulsionis. Moschus est innocuum; sed non multò confidendum.

Aliquamdiu accidit pro circuitu celeriore, qui interdum adest ad cerebrum, esse inopiam sanguinis et vis nervosæ; tum quoque vinum et alia stimulantia, remedia felicissima inveniuntur; et sæpe æger qui delirio jacta-

tus esset, vigiliisque et dolore capitis ; cyatho vini sumpto, in unum somnorum placidorum, qui pro veris vitæ, malè mutatur, delabitur.

Fomenta etiam ad extrema inferiora sæpe remedia sunt, maxime fausta, in somnum conciliando, et cum omne aliud defecerit; tantas vires habentia, Rutherford eruditissimus, et eximius, miratur, uti hoc minus frequenter.*

Conditio humida aëris, somnum conciliare dicitur. Itali idcirco, cubicula floribus et herbis, foliisque populorum, rosarum, salicis, sambuci, et arborum aliarum sparserunt; aut ramos magnos harum in vase aquæ pleno, ob eandem rem imposuerunt.† Modus alius forsan haud immeritus imitandi, fuit, leniter susurrare, ubi anodyna non admoveri possunt ; vase cum aqua impleto, et in imo perforato, clauso solum per spongiam ; aqua guttatim ita in vas æreum infra positum stillat ; ut sonus tinnulus fieret.

———" Levi somnum suadebit inire susurro." ‡

---

* Præl. Clin. 1814.

† Boerhaavii Praxis, vol. iii. p. 325 et 326.

‡ Virg. Ecl. i. 56.

Soni blandi et levissimi instrumenti musici, quoque forsan tentarentur in cubiculo ipso vel conclavi adjacente; sed hoc maximè incertum fuerit. Rami magni arborum flatui aëris expositi, aliquo spatio interjecto, inter hos et ægrum, ut sonus tremulus foliis fieret, aliud est perfugium. In casibus quibusdam, talia haud immeritò utenda sint. Lommius ait multum de eodem more: "Sole "excluso, ipsoque pavimento aspergine ox- "ycrati aut aquæ Rosaceæ, cui mistum sit "acetum refrigeratio. Quin etiam frondi- "bus salicis aut vitis, aut nymphææ (area "insternitur) eademque utiliter manibus "tractantur, ægrotantium, et per omnem "lectuli partem sparguntur. Sonitus etiam "scaturientis fontis, si quis commodo loco "esse possit; itemque fusæ perpetuo supra "pelvim; inde propensiorem hominem ad "somnum reddunt."* Adhæc forsan colloquium gratum amicorum.

Regimen antiphlogisticum.—Hoc maximi est momenti in omni febre, et in minuendo,

---

* Lommius, p. 127.

aut abstrahendo tantum, quantum fieri potest, omnem irritationem internam, externamve, consistit. Hujus generis sunt omnes impressiones sensuum; calor auctus, exercitatio corporis, vel mentis, alimenta graviora etiam. Sunt irritationes speciales, ut a sensu sitis; a cruditatibus vel humoribus vitiatis in ventriculo; et compressione alvi.

Ut defectio animi est signum maximè infaustum hujus speciei febris multum faciendum sit, animum spe blandiendo, exhilarando et sustinendo, gratis rebus oblatis, jucundisque imaginibus; mente, omni re idonea, inspirata. Arabes multum de hoc scribunt; et monent, cubiculum, vestes, lectum, et aerem, bene servari oportere, maxima cura; cubiculum quoque floribus spargi, jucunda ruris et temporis verni, æmulare vel imitari; ramos etiam plantarum et arborum gratos odores spirantium, sic in cubiculo agitare, ut æger tali et leni agitatione aëris grata reficiatur.* Cœlius Aurelianus more simile dicit.

---

* Thesis Dr M'Loughlin, 1810, p. 21. et Mead, p. 212.

INDICATIO IIDA.

Hæc est causas amovere, vel effectus debilitatis prævertere.

Causæ plerumque sunt fugaces, neque eas amovere possumus.

Effectus debilitatis variis modis tolli possunt. Tonica si medicamenta habuimus, sic proximè agentia, utenda esse debent; vero enimvero haud clarum est, nobis talia esse. Applicatio valida frigoris, in debilitatem auferendo, potenter agere, existimetur. Stimulantia ad idem sunt utilia, optimumque longe est vinum; et vinum rubrum Lusitaniæ in plerisque casibus præponitur; sed aliis etiam utimur: tenuia acida vina sunt mala. Si ægri gratum est, eumque reficit; atque pulsum tardum et pleniorem facit; si delirium et dolorem capitis minuit, somnumque conciliat, utiliter continuendum esse credamus. Plerumque adulto libra una, quantitas est plena indies; in aliquot casibus tamen libræ duæ, et etiam quatuor cum fructu datæ fuerunt; vero casus qui requirunt tales quantitates rari. Quum sit ultima infirmitas et demissio vis vitæ, aut conditio pu-

trida, talis dosis sit necessaria. Dr Gilchrist maximè meretur, vinum ut remedium eximium in febre, valde commendando. Si vinum, calorem et inquietudinem adauget, pulsusque arteriarum accelerat, vitandum est. Cum æger non sibi vinum præbere possit, vel non sit gratum, alcohol dandum est dilutum; spiritus vini Gallicus; aut cerevisiæ; etiam porraceum vel pyraceum. Alkali volatile utendum fuit; sed longe secundum vino, et nimium calefacit.

Vinum est, et stimulus et cardiacum. Aromatica plerumque non multum confidenda sunt; et calorem febrilem et irritationem augent.

Emplastra ut stimulantia in lento et demisso statu febris, proponenda fuerunt, verumtamen, me judice, calorem et irritationem corporis augerent; et, incremento febris, vires vitæ, potius minuerent. Symptomata irritationis nervosæ, ut subsultus tendinum, augent. Solito usurpari debent, ubi sit inflammatio topica, ut cerebri, vel pulmonum; ubi remedia sunt maximi, quia sanguinis detractio, plerumque usurpari non potest. Si stimulum externum velimus, non topicam inflammationem amovere; sed vires

vitæ juvare, cataplasmata sinapeos longè meliora sunt, quam emplastra ; citius agunt et certiora sunt: haud raro accidit emplastra non cutem elevare, cum circulatio, in extremis membris, multum defecerit. Interdum ad delirium amovendum, capiti, et nuchæ imposita usurpata sunt ; verumtamen lotiones frigidæ, capillitio abraso, ad delirium allevandum, et dolorem capitis, sunt longè potentissima: Interdum quoque, ut cum magnus et auctus fluxus sanguinis per carotidas ; sanguis ex temporibus, cucurbita cum ferro, aut hirudinibus detrahatur ; sed hoc raro necesse est.

INDICATIO IIItia.

Hæc est proclivitatem ad putredinem prævertere. Ad hoc objectum est, multum hypotheseos habere.

Multa symptomata febris sine dubio, similia putredini apparent ; scilicet petechiæ, hemorrhagiæ, vibices, sudor fœtidus, halitus ex pulmonibus, et excretionibus. Quod putredo rerum in ventriculo et intestinis ultra dubium videtur ; et hæc plerumque in febribus

regionum calidarum, et talem conditionem prævertere aut emendare, est valde commodum et magni momenti. Hæc proclivitas vel conditio, optime emetico mutatur aut prævertitur, si ventriculus tali re oneratur; et hoc catharticis mitioribus, subsequendum est. Acida et acidula danda sunt ut maxime antiseptica: optimum horum sunt acidum citricum, acidum sulphuricum dilutum, et fructus acido dulces. Cinchona in talibus detur; et facillime in ventriculo forma decoctus retinetur; ad hæc addetur acidum sulphuricum, quod amœne acidulum facit.

Diluentia sunt etiam utilia huic indicationi respondere: Decoctum Hordei, aut avenæ, cum supertartrite potassæ, aut infusum theæ, vel serum lactis; variæ infusiones ex herbis amœnis sumantur, tametsi momenti parvi.

Lintea ægri frequenter oportet mutari, et aërem purum, et frigidulum in cubiculum admitti; effluvia nocentia dimovere, quæ ex corpore oriuntur, et accumulationem prævertere. Ob eandem rem multi in cubiculum non admittendi quia ægrum perturbant et aërem depravant.

Linteis depositis statim oportet ea in

aquam frigidam injici, effluvii diffusionem prohibere; et tunc demum ex aqua calida diligenter luenda sunt.

Cibus ex animalibus preparatus, vitandus est; sed æger sæpissime talem fastidit; vero enimvero observandum est, hunc vel cujusvis generis cibum solidum haud omnino esse idoneum. Si æger cupit paululum infusi carnis bubulæ; detur; aut gelatinæ, ex animalibus; necnon juris Gallinacei in quantitate modica.

Ægro convalescente, si tempestas anni liceat, aliæque res, mittendus est ruri; quod secundum Aretæum, prata, flumina, rivuli atque florum odores, corpus, ad solitam vim, reficiunt et confirmant.



PROPHYLAXIS.

Cubiculi aër ex necesse, semper mutandus est; et nunquam vel ob ægrum ipsum vel ministros mutatio omittenda est. Sed quum

contagio haud mutatione sola aëris destruatur, alia varia chemica usurpata fuerunt; ut acidorum vapores: horum acetosum, muriaticum et oxymuriaticum, nitricumque aptissima sunt. Horum omnium diu nitricum optimum esse putabatur; nunc autem, muriaticum et oxymuriaticum anteponenda sunt, quia validiora. Diu muriaticum vix respirari posse opinatum est; sed Duncan sen. cl. eo utibatur aliquot annos, in Nosocomio Edinensi, optimo effectu contagionis prævertendi, et sine ullo incommodo ægri. *

Quum effluvium adhæret parietibus domi et suppelectili, et febrem diu postea excitaverit, idcirco non solum, fumigatio est necessaria; sed etiam lotio cum calce parietum.

Est naturæ putare, effluvia soluta et dissipata in aëre communi, aut large diluta evadere inertia. Gutta alicujus acidi, si injecta magnam copiam æquæ fit insipida, et plus, plusque, secundum gradum diluendi. Analogiam concipiemus inter hoc et effluvium contagiosum. Sed fieri potest, et verisimile est, id iterum disjungi posse ab aëre, et ad

* Præl. Clin. 1814.

vestes et similia adhærere et contagium vehere. Pestis magnum spatium provecta est in Xylo; et cum explicatum, aliqui statim mortui sunt, effluvio noxio spirato. Detentione magis virulentum fit, quamque etiam longius, tam pejus. Contagium variolæ in stragulis, Oceanum Atlanticum transvectum est.

Cum, his modis, ventilatione et suffitu, aër ita purus fit, ut nullum odorem malum in cubiculo sentiamus, nihil metus est contagii.

Fumus prunæ communis, valde agit, loca contagione affecta, purificando. Acidum sulphuricum prepotens est; respirando autem inaptum; et hinc ad vestimenta purganda solum adhibitum; vel ubi nemo est in cubiculo. Arsenicum quoque tentatur, et cum eadem monitione. Tabacum ustum putatur antidotus haud parvus. Pulvis nitratus humidus et dein ustus, est unus ex optimis modis: aërem perfecto purgat; utibatur eo multum navigator eximius Cook, per navigationem ejus longam. Lindius dicit acidum acetosum camphoratum esse bonum; et ustionem diversorum generum siccati

ligni ut scilicet, pini, abietis, vel herbarum ut juniperi, rorismarini, et similium.

Robur est necessarium ; et cibus et exercitatio, et modus vivendi debet ad hoc conspirare : "Socrates propter summam temperantiam, in illius etiam pestilentiæ vastitate, quæ Atheniensem civitatem depopulata est, inoffensa valetudine vixit." * Balneum frigidum et fortassæ cinchona, et vinum et talia quoque utilia fient. Corpus, cibo nutriente, confirmans ; et etiam administratio stimulantium, ut liquorum fortium, et aromaticorum, effluvia noxia mire antevertere videntur.

Multum est vitando, quantum fieri potest causas prædisponentes, contagione vagante, nempe omnes quæ debilitatem producunt ; affectus deprimentes mentis, anxietatem, tristitiam et metum contagionis, quæ maximè agit : mens hilaris est multi. Res aliquæ validi odoris laudantur ; et præsertim, si in vestibus alicujus, obsutæ sunt, ut camphora et moschus. Hæc sunt potentia et maxime penetrantia, sed hodie non multum

---

* Drummond de Febre, p. 37.

in his confidimus; in genus nervosum, stimulando, agunt.

Dum prope ægrum sumus qui febrem pestilentem habet; aliquid valde aromaticum odoremus; aut acidum acetosum, vel camphoram, cum spe saltem salutis. Vero enimvero, fumigatio cum gase acido muriatico, vel nitroso, est optimum refugium; et mundus, sempeternè, beneficio illius ingeniosi obstringitur, qui talem modum felicem proposuit.

Multa de his, adhuc manca, imperfecta, et invenienda, manent; "sed hæc et his si-"milia, utcunque animadversa aut existima-"ta erunt, haud in magno equidem ponam "discrimine."—Titus Livius.

FINIS.